



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Inuestitura Abbatis Henrici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

privilegia *Burenſis* Eccleſiæ acquiſerunt: quam etiam ab eodem tantæ auctori-
tatis & ſanctitatis metropolitano dedicari, regalique edicto publicè honorifica-
ri iſdem Principes petentes perceperunt. Mox conuenientibus illuſtribus, & Ca-
tholicæ excellentiæ perſonis, à ſupra memorato Pontifice & *Biſterpo* reueren-
diſſimo Auguſtineſe Epifcopo vndecimo Calendarum Nouembrium die in no-
mine Sanctæ Trinitatis, in honore S. *Benedicti* & B. *Iacobi*, nec non ad plurimo-
rum ſanctorum memoriam, quorum & plurimas congregauerunt reliquias, hæc
Eccleſia dedicata eſt: & præter cæteras cœnobialis cautelæ aptitudines, ab in-
troitu mulierum inuiolabili ſanctione alienata, ſtatimq; magnificis oblationi-
bus ac prædiis dotata & ditata.

Inueſtitura Abbatis ORTOLFI.

R*dolphus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Vniuerſis mini-
ſterialibus hominibus & vaſallis Monasterij *Beyrn*, gratiam ſuam & omne
bonum. Benignitatem decet regiam ſubditorum Sacri Imperij fidelium
maximè maximorum commodis intendere, & ipſorum quieti ſerena mente
conſulere: vt allecti beneficiis & beneficentiæ gratiis incompenſa deuotæ fide-
litate Sacro Imperio fortiori deuotionis, fidei & dilectionis vinculo cõiungan-
tur. Quod adtendens noſtra Serenitas, venerabilem *Ortholſum Burenſem* Ab-
batem Principem noſtrum dilectum, ſe noſtræ Maieſtatis conſpectibus præſen-
tantem ſumus benignitate Regia fauorabiliter proſecuti, collatis ſibi regali ſce-
pro regalibus, ac eodem de adminiſtratione temporalium legitime inueſtito.
Quapropter vniuerſis ac ſingulis vobis mandamus, præcipientes auctoritate
regia firmiter & diſtrictè, quatinus eidem Abbati Principi noſtro dilecto deuotæ
fidelitatis obſequia impendatis, & eidem tanquam vero veſtro Abbati in omni-
bus intendatis fideliter & deuotè. Datum apud *Auguſtam* XV. Calend. Iulij,
Indict. tertia, Anno Dñi. MCCLXXV. regni vero noſtri ſecundo.

Inueſtitura Abbatis HENRICI.

R*dolphus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, vniuerſis ſacri Ro-
mani Imperij fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne
bonum. Quia tribulationibus preſſuris & anguſtiis venerabilis *Henrici* Ab-
batis & ſui Monasterij S. *Benedicti in Beyrn*, ex innata noſtris præcordiis pietate,
ex animo condolemus, ſuis commoditatibus intendere volentes, & cum ſpe-
ciali gratia præuenire. Propterea ad vniuerſitatis veſtræ notitiam cupimus per-
uenire, quod nos ad preces & inſtantiam Illuſtris Ducisſæ *Bauariæ* filia noſtræ
cariffimæ, regalia feuda principatus quem obtinet, eidem Abbati liberaliter du-
ximus transmittenda: volentes in hoc ſuis parcere laboribus & expenſis. Vnde
vniuerſis miniſterialibus & Vaſallis ſupradicti Monasterij damus firmiter in
mandatis, vt memorato Abbati tanquam noſtro Principi & ſuo Domino in
omnibus intendant humiliter, & pareant reuerenter. In cuius rei teſtimonium
 præſens ſcriptum exinde conſcribi, & Maieſtatis noſtræ ſigillo juſſimus com-
muniri. Datum *Auguſta* ſeptimo Cal. Februar. Indictione quarta decima, An-
no 1286. Regni vero noſtri decimo tertio.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina fauente clemen-
tia Rex, Deo ſeruire, regnare eſt. Cum ergo propitia diuinitate regni guber-
nacula teneamus, juxta regiam magnificentiam volumus omnes ſub pace Sere-
nitatis